II.

NOS

JOSEPHUS ALOJSIUS

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS TARNOVIENSIS

SOLIO PONTIFICIO ASSISTENS &c. &c.

Universo Venerabili Clero, saeculari et regulari salutem et benedictionem!

„Qui timent Dominum, præparabunt corda sua,
„et in conspectu illius sanctificabunt animas suas... dicentes:
„Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini,
„et non in manus hominum.“ — Eccli. II, 20. 22. —

Decurrit cito pede tempus, quod fovendae hujus saeculi hilaritati inservit, et cum illo evanescunt etiam mundana oblectamenta, quae appetitum accuunt sensus, cordis vero spatium, religiosaeque sensionis campum solitudini exaequant. Toto quidem animi nostri impetu ferimur ad delicias hujus mundi carpendas, trahimur interdum motu vehementi in gyrum voluptuosae laetitiae, et vix umquam sanior mentem in terrena effusam desideria obrepit cogitatus, esse haec omnia *„vanitatem et afflictionem spiritus.“* [1]) — „Sursum corda“! quotidie pronuntiamus, et vix umquam cor nostrum supra terrenas elevamus cupiditates; speramus regnum

[1]) Eccl. I, 14. —

Dei, et tam otiose illud anhelamus; expectamus futuram in coelis gloriam, et tam parum pro illa obtinenda laboramus; suspiramus ad gaudia aeterna, et tamen avide captamus mundanas delectationes. Terræ infixo pede subsistimus, quotidianis exagitamur curis, inanis studio ducimur gloriae, honoris sublimitatem, opumve amplitutinem desideramus et quaerimus, et mente hisce vanitatibus oppressa vix umquam oculos nostros ad coelum attolimus; nihilominus tamen inde „*Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum.*“ [1]) — Tempus velut rapidus amnis defluit, deterrit corporis nostri organa, quibus sugebamus irritantes mundi delicias, decutit capillos capitis nostri ornamentum, evertit dentes faciei decus nostrae, ac vix nobis relinquit sucum segniter per venas defluentem, et tunc demum sero dolor animam excruciat nostram, tunc demum nos tempus vitae perdidisse nostrae ingemiscimus! Velut leves nubes, quae profligantur a ventis, gaudia nostra transiere; velut somni phantasma dulce spes nostra dissipata est terrena; velut autumni flos aruit prosperitas nostra! Aufert a nobis haec omnia mundus, quibus ab eo ditabamur, auget tamen cordis nostri hiatum; invitos trahit misericordiæ ignarum tempus ad limites excessus nostri, trahit locupletatos vitiis, exutos virtutibus, trahit ad implacabilem Judicem, qui juste et severe requisiturus est sanguinis sui in salutem mundi dati pretium de manu nostra. Quid ergo? Numne in sterili animæ nostræ subsistemus gemitu? Absit; „*ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*“ [2]) — Ecclesia, Magistra nostra, Materque amabilis, induta veste lugubri, invitat nos miseros peccatores ad pœnitentiæ amaritudinem; nutu ejus conticuere gaudiorum tumultus, voce ejus, ne torpida amplius jaceat mens humi nostra, „*poenitentiam agite,*“ [3]) excitamur; videte, inquit, „*tempus nunc esse flendi et plangendi,*“ [4]) atque recte ob hoc nobis acceptabile, maximeque salubre; igitur vos, qui gaudendo Deum amisistis, amare poenitendo „*quaerite illum, dum invenivi potest, invocate eum, dum prope est.*“ [5]) —

Fratres in Domino charissimi, quanta benignitas simul et misericordia Dei nostri vel ex ipsa externa sanctae ejus Ecclesiae resplendet dispositione! Coelesti doctrinae pabulo enutrita optime illa novit, miserum peccatorem recte tunc taedio affici, dum culmen sibi visus est conscendisse terrenae felicitatis; optime illa novit, peccatorem vitiis exsatiatum suis in pravitatis barathro ingemiscere suae, ac eo ipso capacem eum esse supernae opis; hinc illi obviat serio monitu, hac sua quadragesimalis jejunii lugubritate condolere nititur miseriæ ejus, oratione ac exhortatione pulsat ad cor ejus, ut apertis oculis conspiciat et cognoscat mundi vanitatem, perspiciat ponderetque suam perversitatem, recogitet coeli beatitatem, perpendat poenae aeternæ atrocitatem, ac tandem resipiscat! Perpendamus igitur omnes, quam cito prætereat laetitiae momentum, et locum cedat durae poenitentiae! Nolimus pœnitudinis exhorrescere laborem, dum adhuc Deus placari potest, ne tempore hujus benedictae poenitentiae frastra elapso, in aeternum projecti maledictae poenitentiae sine affectu excruciemur. Convertamur

---

[1]) Philip. III, 20. — [2]) II. Cor. VI, 2. — [3]) Matth. IV, 17. — [4]) Eccl. III, 4. — [5]) Isaj. LV, 6. —

igitur ad Dominum; surgamus, qui hucusque peccatis nostris sopiti dormiebamus somno periculoso, surgamus cito, rogemusque, ut nos Christus Dominus illuminet indeficienti gratiæ suæ lumine, etenim sine vera conversione non datur poenitentia, et sine illa interitus nobis paratur.

Nos sacerdotes Domini constituti sumus in Sion sancta ejus, nos in locum Christi Domini successimus, profecto non alium ob finem, nisi ut animarum salutem ab illo in cruce partam ad omnes curae nostrae commissos extendamus; doctrinae coelestis ac gratiarum dispensationis talenta in manibus nostris collocata sunt, usuras illorum suo tempore severus Judex a nobis est exacturus. Horreamus igitur, et cito operi nos accingamus; si enim a Domino electi in ejus vineam missi sumus, jam non amplius sui juris sumus ut nobis pro libitu quidcunque agere, in quocunque tempus insumere liceat; non ergo nobis vivimus, non deliciis, non voluptatibus, non mundi gloriae, sed Christo Domino, *„cujus legatione fungimur.“* [1]) — Nos sapientiae coelestis magistri sumus constituti, hanc argo divinam sapientiam fidelem populum verbo et vita docere tenemur. Haec autem divina sapientia instruit nos, non dari aliam salutis viam, nisi innocentiae aut proenitentiae, priorem laetitiae, posteriorem plenam esse tristitiae salubris.

Obsecramus vos itaque, Fratres charissimi in Christo Domino, ut gregem Domini vobis concreditum hac sapientia imbuatis, ut peccatores hoc maxime jejunii tempore ad viam salutis per seriam emendationem reducere conemini. Hunc in finem sequentes adjungimus observationes:

1) Quivis sacerdos, ut copiosum laboris sui in dirigendis fidelibus suis obtineat fructum, assidue incumbat *orationi.* Nonne, Fratres charissimi, frequenter observare licet, adesse sacerdotes, qui multum laborant, et parum aut nihil proficiunt; unde ergo haec agri sterilitas? Ecce inde, quia agrum ob defectum orationis eorum cœlestis gratiæ imbre non aspergit Dominus. Quodsi igitur sacerdotes muneri parochiae praefecti teneantur missae sacrificium pro parochianis suis diebus praeceptis offerre, non minus tenentur quoque pro illis gratiarum Dominum suppliciter exorare, ut peccatorum parochiae suae duram cervicem ad poenitentiam inflectere, aures eorum incircumcisas ad excipiendum salubre monitum adaperire, cor de carne eorum lapideum auferre, atque novum eis spiritum infundere dignetur. Hoc utique sensu recte dicit *s. Hieronymus: „Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est.“* [2]) — Dubitari nequit, sacerdotis esse, intercedere pro peccatoribus curae suae commissis apud Deum, ut gratiam ipsis expostulet conversionis; quo pacto igitur **intercedentes** dicendi forent, qui spernerent in oratione humili os suum ad Deum aperire?! Nobis viderentur sacerdotes doctrinis tradendis et confessionibus excipiendis sedulo incumbentes, ast raro aut tepide auxilium divinum implorantes, similes seminantibus, qui in aridam projiciunt semina terram; numne illi possunt juste exspectare fructus? Audi hoc respectu *s. Bo-*

---

[1]) II. Cor. V, 20. — [2]) Adv. Jovinian. L. I. n. n. 34. —

naventuram loquentem: „*Non enim solum pro se orare necesse habet, sed etiam pro illis, qui sibi commissi sunt, quos non sufficit sine divino auxilio custodire; nam nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilat, qui custodit eam; est enim praelatus mediator inter Deum et subditos, ut sicut negotium Dei gerit apud illos docendo, corrigendo, sursum agendo, ita etiam negotia eorum studeat apud Deum fideliter promovere placando, gratiam impetrando, et conservando a malo.*“ [1]) — Et proh dolor! quanta animi moestitia prosterneremur, si invenirentur sacerdotes, de quorum manibus saecularis cura, aut plane animi levitas excusserit **Breviarium!** Utique non audebunt provocare ad temporis defectum, ita ut vix possent negotia domestica exacte expedire, si orationi ab Ecclesia praescriptae vacare vellent; sed potestne ejusmodi excusatio probari? O deplorandam mentis coecitatem! Quonam modo tunc fideles tuos moneres, ut quærant cœlestia, si tu ipse sæcularibus innodareris curis? Numne etiam tu non velles salvari? Et quomodo salutis spem fovere praesumeres, qui sancta tua negligeres officia? — Orate igitur, Fratres, pro parochianis vestris, præcipue pro induratis peccatoribus, qui lue sua ovile vestrum inficiunt, orate, et dabitur vobis; mementote, ut alte insideat menti vestrae principium isthoc: Nisi oraveris, non obtinebis! —

2) Ignorantia, maxime rerum divinarum, mater est peccati; sanctum ergo sacerdotibus animarum curam sustinentibus incumbit officium sedulo *instruendi* parochianos suos in fidei articulis; prae ceteris ejusmodi religiosis institutionibus valde convenit quadragesimale tempus, ubi quivis adultus sub mortali peccato tenetur per sinceram confessionem ac veram poenitentiam Deo reconciliari, ac sacra refici Synaxi. Quomodo vero poterit aliquis conscientiam suam recte discutere, ac vitam suam serio emendare, si praecepta Dei ignoraverit? Quomodo poterit in perfectionis christianae via progredi, si officia erga Deum, se ipsum ac proximum nescierit? Unde autem religiosarum veritatum capient fideles notitiam, si sacerdotes officium isthoc gravissimum neglexerint? *Concilium Tridentinum* praescribit, „*ut plebani, et quicunque parochiales vel alias curam animarum habentes ecclesias quocunque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, et cœlestem gloriam consequi valeant.*“ [2]) Nullo modo a gravi peccato immunes forent animarum pastores, qui omne docendi munus in Cooperatores devolverent, ipsi vero nullo legitimo obstaculo impediti, tacerent ibi, ubi ipsis loquendum, docendum, arguendum, et corripiendum esset; districtum sibi pararent isti animarum pastores Dei judicium, qui aut ipsum Dei verbum, quod docere suos, aut ipsos fideles, quos erudire in Dominicis praeceptis deberent, spernerent. Bone Deus! quot peccata, quotve scelera

---

[1]) De sex alis. C. VIII — Sess. V. C. II. —

praecaverentur, si mandatorum divinorum ignorantia ex fidelium animis pelleretur! Nonne ergo haec omnia mala redundabunt in eos, qui miserum populum Dei praecepta ignorare permiserunt? Quid Apostolus ad Timotheum scribit, quid urget? — „*Praedica*—iniquit—*verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*“ [1]) Ad quae pulchre animadvertit s. *Augustinus:* „*Audio enim dicentem Apostolum: Prædica verbum, insta opportuno, importune. Quibus opportune? Quibus importune? Opportune utique volentibus, importune nolentibus. Prorsus importunus sum audeo dicere. Tu vis errare, tu vis perire; ego nolo . . . . Revocabo errantem, requiram perditam, velis, nolis, id agam. Etsi me inquirentem lanient vepres silvarum, per omnia angusta me coarctabo; omnes sepes excutiam, quantum mihi virium terrens Dominus doceat, omnia peragrabo; revocabo errantem, requiram pereuntem.*“ — [2]) Igitur Fratres charissimi, videte, ne vestra culpa fideles in vitia proni ruant, eo, quod non doceatis, non moneatis, errantes non corripiatis, devios non quaeratis. Praecipue animarum saluti nunc proficuum reputatur, ut diebus dominicis tempore quadragesimali pomeridiano tempore ante Vesperas in Ecclesia per parochum, in alio vero decenti loco, videlicet in aliquo incorporato pago, per Cooperatorem diligentes et clare populo exponantur ea, quae ad Sacramentum poenitentiae nec non Eucharistiae spectant; qui majori zelo ob fidelium copiam laborare tenentur, catechizandis parochianis occupentur sive in schola, ubi adest, sive in Ecclesia post meridiem fors $\frac{1}{2}$ hora aut tribus quadrantibus saltem bis per hebdomadem. Sciant isti animarum zelatores, „*nullum omnipotenti Deo tale esse sacrificium, quale est zelus animarum.*“ — [3]) Novimus quidem, magna opus esse patientia in catechizando, praecipue ubi rudiores accedunt, qui doctrinis abstractis capiendis pares non sunt; sed quanta inde dimanant merita coram Deo in eum, qui pauperes istos non spernit, nec taedio afficitur, si doctrinam a se traditam videat non illico ab audientibus intelligi; multum sane laboravit, qui cum patientia saltem unum ignorantem instituerit, unum saltem peccatorem ad Deum converterit. „*Multa praedicatorum compassione indiget conversio peccatorum.*“ [4]) — Curam quoque agant, ne schedulae ad confessionem sine stricto examine e *necessariis medii et praecepti* rudibus tradantur. Adjungimus etiam hoc, quod sancta Ecclesia pro omni Quadragesimae feria destinaverat **Epistolam** et **Evangelium** non alium in finem, quam ut populo fideli perlegerentur et explanarentur. Huic saluberrimo fini congruenter V. Clerus tali similiter non deerit officio.

3) Commendamus Vobis insuper, Fratres charissimi, ut populum fidelem de jejunandi **ratione** edoceatis. Fulta enim auctoritate utriusque Testamenti, jejunii legem tulit Ecclesia. Itaque jejunium servandum, quod ad celebrandam Christi jejunantis ac patientis memoriam, ad agendam pro peccatis poenitentiam, ad comprimenda vitia, ad mentem animumque piis me-

---

[1]) II. Tim. IV, 2. — [2]) Serm. XLVI. de past. in Ezech. XXXIV. n. 14. — [3]) Gregor. M. in Ezech L. I. hom. XII. n. 30. — [4]) Ibid. L. V. C. IV. n. 16. —

ditationibus ac sanctis operibus magis adaptandum, ad impetrandam uberiorem Dei opem &c. est institutum. . . S. Chrysosthomus jejunium his verbis inculcat: *Jejuna, quia peccasti; jejuna, ut non pecces; jejuna, ut accipias; jejuna, ut permaneant, quae accepisti.*" [1])— Ast vana sunt nostra jejunia et infructuosa, si caro quidem a cibo abstineat, anima vero exsatietur vitiis; similiter frustra stomacho escam subtrahimus, si jejunando in humilitate et poenitentia non exerceamur, sed potius inanem ementitae pietatis gloriam quaeramus. „Si *vitia non deseruntur, frustra Dei misericordia lachrymis imploratur: frustra enim oculus plorat, si animus in crimine perseverat.*" S. Thom a Villanova. Veram jejunandi rationem proponit nobis ipse Deus, dum dicit: „*Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu et in planctu.*" [2])— Qui ergo ad Dominum „*ex toto corde convertitur,*" avellit ergo cor suum non tantum a peccato, sed etiam ab affectu ad illud, hujus demum acceptum est Domino jejunium, tali demum poenitentia Dominus placatur. Monendi ergo sunt fideles in omnibus quadragesimali tempore dicendis concionibus, nihil se profecturos jejunando, si peccatis perfecte valedicere noluerint; concionatores praecipue ubique locorum prae oculis habeant vitia nunc in populo occurrentia; doceant eum, Dominum peccatis eorum, qui jejunant, adhuc magis offendi: „*Quare jejunavimus, et non aspexisti? humiliavimus animas nostras, et nescisti? Ecce* (respondet Dominus) *in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie. Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nomquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum et cinerem sternere? numquid istud vocabis jejunium et diem acceptabilem Domino?*" [3])— Nihil sane videtur magis abominabile, quam jejunans luxuriae aut superbiae deditus; prior ex una quidem parte corpus suum affligit, ex altera vero illud voluptuose fovet; posterior jejunando humilitatem affectat, superbiendo vero illam deridet. „*Quae igitur jejunii utilitas, quaeso, cum corpore quidem jejunas, oculis vero moecharis?*" [4])— Adhuc autem ad jejunium nostrum sincerum accedant opera bona, siquidem pietas in illa naturali modo tendit; si igitur jejunii observatione vere sanctificabimur, sanctitatis opera certe non deficient. Omni quidem tempore ad opera bona exercenda obligamur, magis vero tempore hoc, quo et ipsi misericordiam Dei consequi desideramus; omni quidem tempore ab illicitis fugere tenemur, tempore vero hoc etiam a licitis abstinere jubemur. — „*Per alios dies non graventur corda vestra in crapula et ebrietate, per hos autem et jejunate. Per alios dies adulteria, fornicationes, omnesque illicitas corruptelas nolite contingere, per hos autem etiam a conjugibus abstinete. Quod vobis demitis jejunando, eleemosynis addite praerogando. Tempus, quod reddendo conjugali debito occupabatur, suppli-*

---

[1]) In hom de jejunio. — [2]) Joel. II. 12. — [3]) Isaj. LVIII, 3—5. — [4]) Chrysost. de Poenit. hom VI, n. 2. —

cationibus impendatur. Corpus, quod carnalibus affectibus solvebatur, puris precibus prosternatur.“ [1]) —

4) **Conciones**, quae tempore pomeridianæ devotionis (Gorzkie żale) dici solent, in nulla parochiali Ecclesia negligantur, siquidem hoc salubri tempore magis patent gratiae divinae fidelium corda; sitienti ergo populo large prompteve subministretur spiritualis potus. Concionum vero ipsarum argumentum tempori conveniat, et quaecunque conveniens materia eligatur, numquam ipsius Domini Salvatoris passio ex oculis omnino dimittatur; siquidem, qaemadmodum actus iste Filii Dei maximae humiliationis et exinanitionis causa est nostræ maximae exaltationis, ita quoque maximae laudis gratiorumque actionis thema sit oportet. Decet sane hoc tempore, quo memoriam nostrae redemptionis recolimus, pio expendere animo tam immensae divinae ergo nos miseros peccatores charitatis documentum. „*Ad hoc itaque nobiscum vixit in carne, ut praeferret nobis exempla justitiae*; *ad hoc pro nobis mortem subiit, ut conferret munera salutis aeternae. Hominem ad hoc induit, ut erudiret*; *ad hoc tradidit, ut redimeret; ad hoc resumpsit, ut in Deum sumeret. Vitam ad hoc deposuit, ut donaret*; *mortem ad hoc suscepit, ut vinceret;*“ [2]) — haec s. *Augustinus* recogitans dicit: „*Quid retribuemus Domino pro muneribus tantae dignationis?.... Quis tantam possit enarrare pietatem?*“ [3]) — Tantae ergo misericordie et charitatis cum habeamus inenarrabile documentum in passione Domini, numne tempore hoc, quo ejus memoria recolitur, de illa tacebimus? Tandem

5) quoad jejunium in specie eadem observanda inculcent Fratres in Christo, quae in anterioribus Allocutionibus hujatibus statuta leguntur... praeprimis ad haec reflectantur fideles, quod

a) omnes ad *abstinentiam a carnibus* per totum tempus quadragesimale tenentur, simul quoque ad *unam* per diem refectionem, attamen ad saturitatem cum vel sine brevissima caena praeter diem Domini. Excepti sunt ab una refectione ad saturitatem, non tamen ab usu carnium, qui ad jejunium stricte tale non obligantur, sive ob juventutem, aut senectutem, sive ob labores duriores &c.

b) Dispensatio ab usu carnium pro 4. hebdomadis diebus nonnisi justis ex motivis peti atque concedi potest.

c) Beneficium dispensationis per alia bona opera, uti preces, eleemosynas &c. resarciendum est... quod ut docet experientia, plerumque negligitur.

Demum haec addenda esse censemus, ut

1) A. R. Condecanales a resp. Decano, rursus Perillustres Decani ac Claustrales a Nobis expetant gratiam dispensationis pro 4 in hebdomade diebus, excepta *Magna*, si gravia adsint rationum momenta.

---

[1]) August. Serm. in quadr. CCV. n. 2. — [2]) Serm. CLIV. de past. Dom. a. 1. Appendix. — [3]) Ibid. n. 2. —

2) Ante *Confessionem* et *Communionem* paschalem, si tempus permiserit, V. Clerus verba praeparatoria depromat, *preces*que ante et post s. Communionem praescriptas aut Ipsemet cum mora et gravitate recitet, aut recitari faciat.

3) Ne *sal*, quo condiendi sunt homines, infatuetur, *Recollectiones* ante Confessionem paschalem vel singillatim, vel junctim, Parochus cum Cooperatore &c. instituat, quibus obfirmati, purgati ac justificati Pascha cum exultatione manducare valeatis.

5) *Matutinum tenebrarum &c.* juxta Ecclesiae Rubricas solemniter celebretur, ac Ritus Hebdomadis Magnae provie populo illustrentur.

Transacto hunc in modum mortificationis, emendationis, placationisque tempore, non tantum memoriam Resurrectionis Salvatoris nostri, sed etiam suam a peccatis resurrectionem parochiani una cum Pastore exultantes et **Alleluja** cantantes celebrare, ac viriditatem animæ suae sub reflorescente natura externa gaudentes conspicere valebunt.... *Gratia, misericordia et pax a Deo Patre et Christo Jesu Domino nostro!* [1])

---

[1]) I ad Tim. —

Dabamus in Palatio Eppali.

Tarnoviae die S. Apolloniae, 9. Feb. 1867.

Josephus Alojsius,

Episcopus Tarnoviensis.

Impensis Consistorii.

Tarnoviæ. Typis Anastasii Rusinowski, 1867.

Expeditio hujus celerrima commendatur.